

# SUMMA RERUM OMNIUM

QUÆ IN HOC TOMO ET SEQUENTI DISPUTANTUR.

In quinque principalia capita totum opus distribuntur. De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De sacrosancto Eucharistiæ sacramento. De arcano Missæ sacrificio.

Unaquæque ex his partibus in duas præcipuas dividitur. Prior speculativa seu dogmatica vocari potest. Posterior, moralis et practica. In priori namque institutio sacramenti, natura, essentielles et integrales partes, causæ, effecta, et accidentia seu cæremoniæ declarantur. In posteriori vero de præceptis omnibus, quæ ad tale sacramentum pertinent; quibus modis ac temporibus, et servanda sint, et contra ea peccari possit; et an censuræ aliquæ, vel Ecclesiasticæ poenæ eis annexæ, sint transgressoribus impositæ, copiose disseritur.

Prima pars, quæ est de sacramentis in genere, primis octodecim disputationibus absolvitur, ex quibus quatuordecim priores, partem speculativam, quatuor reliquæ moralem continent.

Pars secunda, quæ est de baptismo, tredecim habet disputationes, a decima nona usque ad trigesimam primam, quarum ultima moralis est.

Pars tertia, quæ est de confirmatione, septem disputationibus comprehenditur, a trigesima secunda usque ad trigesimam octavam, quarum sola ultima moralis est.

Pars quarta, quæ est de sacramento Eucharistiæ, triginta quatuor disputationibus continetur, a trigesima nona usque ad septuagesimam secundam. In prioribus viginti septem, Eucharistiæ declaratur mysterium; et non solum scholasticæ quæstiones, sed etiam controversiæ cum hæreticis accurate disseruntur. In septem residuis, moralis doctrina, ad hoc sacramentum pertinens, proponitur.

Quinta et ultima pars, quæ est de sacrificio Missæ, decem et sex disputationibus concluditur, a septuagesima tertia usque ad octogesimam octavam. Atque ex his priores septem fidei dogmata continent, declarant, ac defendunt; reliquæ vero novem morales sunt, et præcepta omnia ad Missam spectantia, tam quæ ad dicentes seu offerentes, quam ea, quæ ad ministrantes et audientes pertinent, simul et omnes Missæ cæremonias, continent ac explanant.

Quid in singulis disputationibus, earumque membris seu sectionibus tractetur, in proprio indice inferius<sup>1</sup> demonstratur.

<sup>1</sup> In nostra editione isti indices in capite voluminum præmittuntur.

# COMMENTARIJ ET DISPUTATIONES

P. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

IN TERTIAM PARTEM D. THOMÆ

A QUESTIONE SEXAGESIMA, USQUE AD OCTOGESIMAM TERTIAM.

## PRÆFATIO.

1. *Sacramenta septem columnæ, septemque fontes sunt. — Sacramentorum ratio rebus humanis accommodatissima est. — Sacramenta nova veteribus præstantiora.* — Cum D. Thomas in superioribus quæstionibus doctrinam de Verbo incarnato copiose tradiderit, ad sacramentorum considerationem jure progreditur: quoniam septem sacramenta, ab eodem Verbo instituta, et septem columnæ sunt, quas divina sapientia excidit, ut super eas Ecclesiæ suæ domum ædificaret, ut significarunt Cyprianus, epist. 63, et Augustinus, 47 de Civit., cap. 20, et uberrimi etiam sunt gratiæ fontes, quos idem Verbum Dei, et fons vitæ in hac domo sua perennes esse voluit, ut filii ejus aquam vitæ ex eis haurirent, sicut Isa., cap. 42, prædixerat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Non de fontibus fluminis Ægypti, inquit Hieron., sed de fontibus Jesu, qui in Evangelio clamabat, qui sitit, veniat ad me, et flumina de ventre ejus exhibunt. Admirandum sane divinæ sapientiæ artificium, atque infinitæ virtutis divini verbi singulare indicium, quod res externa specie raducas, atque labantes, firmum æterni ædificii fundamentum effecerit, et sub signis ex corporeis elementis concretis, quibus nihil excelsius, nihilque divinius, quam cæteris rebus inesse videtur, cœlestia mysteria omnemque spiritualem animi salutem contineri voluerit. Per hæc enim divina sacramenta, ut Concil. Trident., sess. 7, in proem., docuit, omnis vera justitia, vel incipit, vel certe augetur, vel amissa reparatur. Qua in re benignissime divina providentia sese fragili hominum naturæ

accommodavit: cum enim hæc sit hominis imbecillitas, ut res, quæ sub sensum non cadunt, non nisi ex iis, quæ sensibus obijciuntur, conjectare possit, ad divinæ providentiæ sapientiam, suavitatemque pertinuit, divina mysteria sub sensibilibus signis homini proponere, eaque instrumenta efficere, quibus et ab homine colatur Deus, et a Deo gratiæ beneficium et auxilium homo suscipiat. Hæc quoque est eorum sacramentorum, quæ Ecclesiæ suæ Christus providit, dignitas, et majestas, ob quam longe sanctiora, ac diviniora, quam sacramenta vetera censentur, teste Ambrosio, 4 de Sac., cap. 4. Quia licet numero pauciora sint, actu tamen sunt faciliora, virtute majora, utilitate meliora, ut Augustinus, contra Faustum (lib. 19, cap. 13) scripsit. Atque de his sacramentis præsens disputatio præcipue instituitur, quamvis propter rerum similitudinem, et convenientiam, de aliis etiam, quæ in lege naturæ, aut scripta fuerunt, quasi per occasionem disseratur.

2. *Suscepti operis gravitas, utilitas et jucunditas. — Ordo et ratio totius operis.* — Jam vero ex iis quæ dicta sunt de subjecto et materia hujus doctrinæ, facile intelligi potest, quanta sit ejus dignitas, necessitas, ac obscuritas. Multa enim in ea continentur divina ac supernaturalia mysteria, quorum cognitio ac contemplatio licet humani ingenii vires, ac intelligentiam superat, tamen per sese jucundissima est, et ad Christianos mores componendos utilissima: quæ eo majori studio, ac diligentia his temporibus illustranda, et ex veterum fontibus, quorum traditione majori ex parte consistit, eruenda est, quo ab hostibus fidei vehementius impugnatur, qui hos